



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia  
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,  
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

**Maffei, Scipione**

**Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756**

Liber III. Quo colliguntur loca huc pertinentia, quæ habentur in epistolis S.  
Pauli, & Catholicis, vocato in subsidium Augustino cùm res postulat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)



reorum, humorumque dispositione, à quo quâ ratione non planè penderet morum diversitas, ægrè admodum sciebant explicare. Nectebatur iidem ex pervagatâ illâ apud omnes propemodum opinione de fato, cuius legibus nè ipsum quidem Jovem credebant exemptum. Nihilominus tantæ inter ipsos non fervebant controversiæ, nec tantæ hac super re fiebant commentationes. Conquiescebant enim in illâ per lumen rationis, communemque hominum consensum manifestatâ veritate, quâ omnes inter populos regitur, atque sustinetur societas; hoc est, mandanda executioni esse media ad consequendum finem; præclare item facta ita laudem & præmium, uti vituperium, & supplicium, quæ secus fiunt, commeneri.

7. NOTARE hic non supersedebimus, dicere quidem S. Paulum: <sup>1</sup> *Sine penitentia esse donâ, & vocationem Dei*. At cum de futurâ damnatione loquitur, non solere eam appellare irrevocabilem. Apud Ezechielem ita loquitur Dominus: <sup>2</sup> *Si autem dixerio impio: morte morieris! & egerit penitentiam à peccato suo... vivet, & non morietur*. Constituta jam mors erat Ezechiae, & tamen Deus <sup>3</sup> *adjecit super dies ejus quindecim annos*. Nunciavit Jonas Nivitis jussu Numinis: <sup>4</sup> *Adhuc (\*) quadraginta dies, & Ninive subvertetur!* Norat Magister noster: *Non... dixit triduo; & Ninive everteretur; si autem penitentiam in isto triduo egeritis, parceret vobis Deus; sed absolute & simpliciter: subvertetur!* Et tamen illi de Dei misericordia non desperantes converterunt se ad penitendum; & pepercit Deus, & Ninive non fuit subversa. Quæ qui-

dem omnia non perinde accipi debent, quasi non foret ordo quidam infallibilis providentiæ, & rerum à Deo dispositarum, prævisarumque series. Sed documenta hæc esse nobis debent, quòd, dum mortalem hanc vitam degimus, semper liceat mutare sortem; ejusque opitulante gratiâ ad dextram se conferre, quia & hoc erit à Deo prævisum. Jacob frater natu minor electus fuit; Esau natu major repudiatus ante, quam nasceretur. Sed quid ad hæc Augustinus in Opere suo adeò celebri, id est in Commentario in Psalterium? Vidimus jamtum: <sup>5</sup> *Vult & ipse eligi? fiat minor*; id est, demittat sese, bonusque evadat ut minor; & ipse quoque in electorum censu collocabitur. Videbimus suo loco, quomodo S. Cyrillus, ut ostendat, prædestinationem nihil officere libertati, nos cohortatus fuerit ad orandum Deum, ut nomina nostra scribat; & scripta non amplius expungat: quemadmodum evenit illis, qui suis peccatis ipsius gratiâ excidunt. Habemus in Exodo: <sup>6</sup> *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*; & in Apocal. *Auferit Deus partem ejus de libro vitæ*. Omnes itaque Deus libro vitæ inseruit: at qui malè vivit, eraditur. Hinc supplex orat Ecclesia: *Ut omnium fidelium nomina beate Prædestinationis liber adscripta retineat*. Denique cum ex Epistolâ hac per Augustinum illustratâ colligere liceat, quam adorabilis sit prædilectio, quam nobis restitam fecit Altissimus, reliquum est, ut juxta doctrinam Principis Apostolorum <sup>7</sup> *satagemus, ut per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus*.

(1) XI. 29. (2) Ezech. XXX. 14. (3) II. XXXVIII. 5. (4) Jon. III. 4. (\*) *adhuc quadraginta secundum hebraum Codicem; at in græco est: adhuc tres*. (5) in Pl. CXXXVI. n. 38. (6) Exod. XXXI. 33. Apoc. XII. 19. (7) 2. Petr. I. 10.

#### LIBRI SECUNDI FINIS.

### HISTORIAE THEOLOGICAE

#### LIBER III.

Quo colliguntur loca hæc pertinentia, quæ habentur in Epistolis S. Pauli, & Catholicis, vocato in subsidium, cum res postulat, Augustino.

**P**ERGENTIBUS nobis indagare loca hoc in argumento magis dogmatica, atque ad materiam subjectam spectantia, de hominibus à Salvatore nostro ante alios electis imâ ad Cor. occurrunt sequentia: <sup>1</sup> *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*.

2. LEGIMUS ibidem, <sup>2</sup> *quod non vidit oculus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Qui præparationis tam faustæ modus subindicatus ab Apostolo sic fuit expositus à nostro Interprete: <sup>3</sup> *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, hoc videbunt boni, hoc videbunt pii, hoc videbunt miseri-*

(1) I. Cor. I. 27. (2) II. 9. (3) Serm. 127. n. 11.



cordes. Sic & in orationibus Ecclesiae imploratur Deus ille, qui diligentibus se bona invisibilia praeparavit. Loquens deinde de Ministris ejus, cui crediderunt, advertit Paulus, neque eum, qui plantat, esse aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.<sup>1</sup> Et postea: Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suam laborem; Dei enim adjutores sumus. Repetit paulò post Apostolus, accipiendam mercedem; & alio in capite, obventuram nobis coronam, non marcescentem quemadmodum victoribus mundanis, sed incorruptam. Quà mercede operationum nostrarum meritis respondente repraesentatur aeterna beatitudo in multis cum veteris, tum novi Testamenti locis. Quod tamen non impedit, quominus omnes sint gratia, donum, & DEI misericordia in radice.

3. CAPITULO QUARTO: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Saepe in rem suam usus est hoc loco Augustinus adversus Pelagianos; maxime, quando contendebant, nostram esse fidem, non esse acceptam à Deo; non esse merum donum, quod per illam à tot aliis nos discriminaverit; neque ab ejus auxilio voluntatis etiam bonae principium provenire.<sup>2</sup> *Quis te discernit? ubi si dixerit homo, fides mea, voluntas mea, bonum opus meum, responderetur ei: quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quà ratione verum sit, quod omnia habeamus à Deo, clarius adhuc exponit in lib. de Spir. & Lit. n. 57. Obiciens enim sibi quaedam adversus illud: *Quid habes, quod non accepisti?* siquidem credere, & operari etiam nostrum sit, responderet, cum ipsum liberum arbitrium, quo credimus, & operamur, DEI donum sit, donum etiam ipsius esse, quidquid illo operamur.<sup>3</sup> *Nec istam voluntatem, quã credit Deo, dici potest homo habere, quam non accepit.* Quandoquidem vacante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit. Et deinde: Propterea enim voluntas, quã credimus dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod, cum crearemur, accepimus. In eandem ferè sententiam locutus est S. Hieronymus, cum interpretabatur Paulum ad Ephesios.<sup>4</sup> *Non, inquit, quod liberum tollatur arbitrium . . . verum quod arbitrii ipsa libertas Deum habeat auctorem.* Addidit postea Augustinus, non ideo solum, sed etiam quia fide extrinsecus . . . sive intrinsecus ipse agat Deus, ut velimas, &

credamus. Quæ declaratio in locis omnibus supra dictis subaudienda est.

4. CAPITULO NONO: *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Et mox: Sic currite, ut comprehendatis.* In quæ ita Interpres: *Omnes, qui recte currunt, comprehendunt;*<sup>5</sup> id est vel metam, vel palmam, quam eripiunt; non sicut in agone theatro omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Pergit Paulus: *Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Non existimabat quippe, salutem suam extra omnem aleam versari, tametsi gratia plenus erat adeo singulari.

5. IN subsequente: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis;* S. Augustinus: *Ne timeas, ait, non deserit in tentationibus ille, in quem credidisti; fidelis Deus, qui te non sinit tentari supra, quam potes ferre. Non hoc à me audis: Apostolus dicit. Prosequitur Paulus: Sed faciet etiam cum tentatione proventum.* S. Augustinus legit hic: *Sed faciet cum tentatione etiam exitum;* quod videtur conformius Græco. Sub finem Commentarii in PC. LXII. *Et non te sinit tentari supra, quam ferre potes, sed faciet cum tentatione etiam exitum.*

6. CAPITULO 12MO docemur, Dominum universi constituisse diversos in Ecclesiâ gradus: In primo Apostolos, in altero Prophetas, in tertio Doctores, in quarto eos, qui variis donati sunt donis; commonemurque, non omnes debere Christianos ad Doctorum aspirare subsellia, quorum præcipue munus est Scripturam interpretari. Atque ita deinceps de reliquis. Atqui dixerat apud Jeremiam Dominus, daturum se esse populo suo Pastores, qui eos pascere scientiâ, & doctrinâ;<sup>6</sup> & apud Malachiam:<sup>7</sup> *quod labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus.* Videmus, in Esdrâ pauca facta fuisse sacrorum voluminum apographa, ut soli ea lescitarent Hebræi; at ipse, ceterique Levitæ eos legerunt, & interpretati sunt populo universo.<sup>8</sup> Eodem capite habetur hoc dogma:<sup>9</sup> *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto;* & in penultimo: *Gratia autem Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* S. August. in Epistola quâdam contra Pelagianos:<sup>10</sup> *Non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil ageret, si illa non adjuvaret.* Quibus verbis ostendit, quod non ego tantundem valeat, ac non ego solus, & sine adjutorio.

(1) III. 5. 7. 8. &c. (2) IV. 7. (3) de Sp. & Lit. n. 57. & 60. (4) Hier. in Eph. I. 4. Aug. ibid. n. 60. (5) IX. 16. (6) de perf. Just. n. 19. (7) IX. 27. (8) X. 13. ἀλλὰ ποιῶσι οὐδὲ τῆς ποιήσεως ἡγεῖται οὐδὲ βασιλεύει. XII. 28. Et quorundam quidem posuit Deus in Ecclesia . . . Numquid omnes Doctores? v. Eph. IV. 11. (9) Jer. III. 15. (10) Mat. II. 7. (11) 2. Esdr. VIII. 8. (12) XII. 3. XV. 10. (13) Ep. 186. n. 36.



7. HABEMUS in hac Epistolâ longam commendationem maximæ virtutum christiannarum, id est Caritatis; habemus ibidem, sine illâ omnes alias, quin & ipsam usque ad eam fidem, donâque omnia nihil conducere ad salutem æternam. Hujus generis documenta adfert Interpres noster, eaque rursum per alia ejusdem Apostoli ad Caritatem pariter spectantia declarat; finis eorum hic est: <sup>1</sup> *Manent fides, spes, caritas; tria hæc: major autem horum est Caritas. Item dicit ad Galatas: Per Caritatem servite invicem; omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo, quod diliges proximum tuum, tanquam te ipsum. Hoc est, quod ad Romanos ait: Qui diligit alterum, legem implevit. Similia plura subdit, desumpta ex aliis Epistolis, ac denique illud Joannis. In hoc cognovimus, quia diligimus filios Dei, cum Deum diligimus, & præcepta ejus facimus. Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus; & præcepta ejus gravia non sunt. Hinc alio in Opere <sup>2</sup> affirmat, Caritatem in SS. Literis tantopere celebratam idem esse, quod bona voluntas, & amor boni. Etiam Legis antiquæ perito illi atque à Servatore interrogato notum erat maximum præceptum: <sup>3</sup> *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut te ipsum. In Ep. ad Rom. postquam dixisset, qui diligit proximum, legem implevit, <sup>4</sup> subiungit: Plenitudo ergo legis est dilectio. Et in illâ ad Coloss. commendat, ut præ omnibus habeant Caritatem, quod est vinculum perfectionis. <sup>5</sup> Habemus in aliâ: <sup>6</sup> *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.***

II. IN secundâ ad Cor. ita legimus: <sup>7</sup> *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; & cap. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum. Meminisse jubet in hac ipsâ, quod omnes nos manifestari oporteat ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit; sive bonum, sive malum. Habemusque in eâ exemplum notabile hebraïsmorum, earumque phrasium Scripturæ, quæ horrorem incutiunt earum significatum non intelligentibus; quod eum nempe, qui non noverat peccatum, pro nobis fecerit peccatum, intellige Christum. Hic Interpres noster: <sup>8</sup> *Hoc verò, ubi dicitur, Deus ipsum Christum, qui non noverat peccatum, fecisse peccatum,**

*non mihi convenientius videtur intelligi, quam Christum factum sacrificium pro peccatis: nam & ipsa in lege peccata appellabantur, quæ pro peccatis offerebantur. Et alio in loco: <sup>9</sup> Pro nobis peccatum fecit, id est sacrificium pro peccatis: Nam & ipsa in lege peccata appellabantur, quæ pro peccatis offerebantur; ac proinde victimæ expiationis. Dicitur etiam ad Gal. III. 13. quod JESUS Christus sic factus pro nobis maledictum; intellige, quod debitam nobis maledictionem in se suscepit.*

2. CAPITULO sexto: Exhortamur, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Hic innuitur illa, quæ obvenit homini cum baptismo. Eodem sensu dicit paulò post: *In hac gratiam, quæ ministratur à nobis. Dicit deinde: Vos ... estis templum Dei vivi, de quo dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis &c.* In hac extat dictum illud: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus. Quod ita Noster interpretatur: <sup>10</sup> Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto &c. & postea: Pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus. Dixit in quodam sermone: <sup>11</sup> Si omnes, & nos. Sub omnibus enim comprehenduntur & singuli. Hæc sententia sæpius inculcata reperitur in Epistolis Pauli ad Rom. VIII. 32. Pro nobis omnibus tradidit illum. 1. ad Corinth. VIII. 11. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Hebr. II. 9. Pro omnibus gustavit mortem. 1. Tim. IV. 10. Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Habemus 1. Joan. II. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

3. OPPORTUNE meminisse hic possumus loci illius Joannæ, qui primâ quidem fronte videtur huic oppositus; ubi refert fufas à Servatore ad Patrem æternum preces: *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Considerandum tamen hic est, non semel duntaxat orasse Servatorem, sed sæpius. Hoc loco Magister noster nos edocet, precatum ipsum fuisse pro discipulis, quos tum habebat; atque eam ob rem dixisse, non pro mundo jam rogo. <sup>12</sup> Paulò post Deum precatum est pro omnibus orthodoxis, non iis solum, qui credere in ipsum debebant ob conciones Apostolorum, sed pro illis etiam, qui ab obitu ipsorum credituri erant, quo-

Christus mortuus pro omnibus.

Explicatur illud: Non pro mundo rogo.

(1) de Gr. & lib. Arb. n. 34. & 35. (2) de Gr. Chr. n. 22. quasi verò aliud sit bona voluntas, quam caritas, de Trin. I. 8. n. 14. Quid est autem dilectio, vel caritas, quam tantopere Scriptura Divina laudat, & predicat, nisi amor boni? (3) Luc. X. 27. (4) Rom. XII. 8. (5) Col. III. 14. (6) 1. Tim. I. 5. (7) 2. Cor. III. 5. IX. 8. 2. Cor. V. (8) ad Bonif. I. 3. n. 16. (9) Epist. 140. n. 73. (10) de Civ. D. I. 20. c. 6. (11) Serm. 2. n. 6. (12) Joan. XVII. 9. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.



cunquetempore, & loco. Cum verò Mundi nomine pejor illius pars quandoque intellecta veniat, interpretatus etiam fuit Augustinus, pro tali eum mundo tum temporis non orasse, quòd sciret, quòd ille destinatus foret. Eodem tamen loco notavit, quomodo idem ille Salvator, qui dixerat: non pro mundo rogo, rogaverit Patrem, ut credat mundus, & omnes unum sint.<sup>1</sup> Cupiebat igitur singulos illustrari.<sup>2</sup> Neminem enim singulorum praterit, qui orat pro universis. Est tamen præ cæteris omnibus hic animadvertendum, sæpius etiam Salvatorem ita preces fuisse pro omnibus, ut explicaret, orare etiam se pro sceleratis juxta illud Isaie.<sup>3</sup> Et pro transgressoribus rogavit. Scimus, cum pendeat à cruce, pro suis ipsum orasse licetoribus: Quis igitur mortaliū sit, pro quo non orarit? Hinc ait Augustinus:<sup>4</sup> Sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare... illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat, quòd ab ipsis moriebatur, sed quòd pro ipsis moriebatur. Docet itaque, mortem optetisse Christum etiam pro licetoribus, atque etiam pro ipsis preces fuisse. Nec refert, quòd non omnes salutem consequantur. Quemadmodum enim novimus ex SS. Literis, licet omnes, quantum ad se spectat, salvos velit Deus; tamen non omnes salvos fieri, propterea quòd voluntas ejus non sit absoluta, nè nostrum per illam tollatur arbitrium: ita & conditionata fuit Salvatoris oratio, & desiderium. Hinc S. Thomas insistent Augustino scripsit in hunc locum:<sup>5</sup> Dicendum, quòd Christus, in quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est, ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum nisi in Sanctis, & Electis Dei propter impedimentum mundanum.

III. SCRIPSIT Apostolus ad Gal. Non abjicio gratiam Dei. Augustinus habebat in suo Codice: non irritam facio gratiam Dei, pergitque dicens: per legem esse justitiam. Exponit deinde: quemadmodum gratia fidei sufficit ad justificandum sine operibus legis &c. notans, duplicis generis esse opera legis, quorum alia pertineant ad Sacramenta, ut circumcisio, sabbatum, & similia, alia ad mores.<sup>6</sup> De illis intelligebatur, quòd non imponi deberent neophytis; non autem de istis. Pergit in Epistola Apostolus:<sup>7</sup> quòd qui ex fide sunt, ii sint filii Abrahæ; quòd non valeat coram Deo fides, nisi que per charitatem operatur. Quòd

que seminaverit homo, hæc & metet; ac proinde æquum sit, ut dum tempus habemus, operemur bonum. In primum hunc locum scripsit Augustinus, declarans, ipsos Judæos, qui Christiani non sunt, cum ex carne Abrahæ originem ducant, non esse continuò filios Abrahæ; & sequitur: eidem oleæ, & radici inferum iri oleastrum, id est Gentes. Dicitur in hac Epistola, quòd Christus nos liberaverit; atque ideo nos non sumus ancillæ filii, sed liberæ.<sup>8</sup> Habemus in integram hanc Epistolam commentarium à nostro Authore.

2. LAUDAVIT D. Paulus Ephesios, quòd eminere in fide in Domino Jesu & dilectione in omnes Sanctos.<sup>10</sup> Quòd perinde est, ac si diceret: in omnes fideles. Deprecatur Deum, quòd nos elegerit in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus. S. Augustinus: Si immaculati intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt, indicare vult Apostolus, electos nos fuisse à Deo, ut hoc simus; neque nostro vitio tales esse destinamus.<sup>11</sup> Sanctificatio illa, quæ efficitur & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, puta per baptismum. Omnes,<sup>12</sup> quotquot fuerunt Sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. Non enim non ad nos pertinet Pater Abraham, quia ille fuit, antequam Christus nasceretur de Virgine; & nos tantò post... facti sumus Christiani. Pergit Apostolus: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum. Ad Rom. scripsit: Sumus filii Dei; & ad Galatas jam conversos: Omnes enim filii Dei estis per fidem. Pergit porro: In quo etiam & nos fortè vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. In aliâ itidem Epistola:<sup>13</sup> Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. Agnoscere in omnibus his locis videtur, electionem, de qua Paulus, intelligendam esse de eâ, quæ est ad fidem, & gratiam. Non diceret ipse se ipsum ad gloriam destinatum, aliòsque promiscuè orthodoxos: quandoquidem è contrario credibilius sit, nè primos quidem illos Christianos salvos evasisse omnes. Habemus enim in ipsius Epistolis, fuisse eorum nonnullos in enormia flagitia, quin & in fidei errores prolapsos; & quidem ex Evangelii præconibus extitisse, qui suo hoc mu-

(1) Tract. 110. n. 2. (2) Serm. 273. n. 2. (3) Isa. LIII. 22. (4) in Jo. Tr. 31. n. 9. (5) S. Th. in Jo. c. 17. lect. 2. (6) Sed hæc questio ut diligenter tractetur, nè quis fallatur ambiguo, scire prius debet, opera legis bipartita esse... nam partim in Sacramentis &c. Aug. in Gal. n. 17. (7) Gal. III. 6. 7. VI. 8. 20. (8) Epist. 196. n. 11. (9) IV. 31. (10) Eph. I. 15. Audiens fidem vestram &c. Aug. de perf. just. n. 38. de Don. perf. n. 47. (11) Epist. 187. n. 32. (12) Serm. 4. n. 11. (13) 2. Tim. I. 10.



nere fungerentur & invidiâ stimulatî, & contentionis studio.

3. Quo loco Paulus in cap. subsequente filios diffidentiae vocitat, Augustinus ait: <sup>1</sup> Filii diffidentiae sunt infideles: & quis hoc non est, antequam fidelis fiat? & tamen additur eodem textu: Eratis enim aliquando tenebrae. Habemus ex Commentatore nostro, quod nomine tenebrarum, & filiorum irae designetur, quisquis non est in sinu Ecclesiae, nec fidem habet, nec baptismum. Dixit ipse ad Jul. <sup>2</sup> Si ergo recte vis sapere, etiam de parvulis cape, quod ait Apostolus de Deo Patre: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum Filii caritatis suae. Et illud alterum: Fuimus & nos aliquando filii irae, sicut & ceteri. Omnes enim eruiuntur de potestate tenebrarum, & filii irae erant, qui peccato moriuntur. Omnes autem, ut Deo vivant, peccato moriuntur. Sic ubi Apostolus mentionem facit eorum, qui tenebris obscuratum habent intellectum, & caeci sunt corde, advertit Noster, intelligi id de incredulis. Hinc propter hos <sup>3</sup> interiores oculos, quorum caecitas est, non intelligere, ut aperiantur, & magis serenentur, fide corda mundantur. Cumque loquitur <sup>4</sup> de divitiis gloriae ejus, per quas vellet corroborari eos virtute per Spiritum ejus, dicit: <sup>5</sup> Haec sunt divitiae, de quibus dicit in Epist. Rom. ò altitudo divitiarum! abditas enim habent causas, ubi nullis meritis praecedentibus quid habemus, quod non accepimus? deinde sequitur, & quid optet, adjungit: in interiori homine habitare Christum per fidem. Neque praetermittendum est, ubi in verba illa: Peto, ne deficiatis, ita commentatur Noster in Tractatu contra Pelagianos de his verbis ad populum recitato: <sup>7</sup> Et tamen Apostolus, nisi sciveret, esse in eis voluntatis propriae confessionem, ubi & ipsi aliquid agerent, non diceret, peto. Attendi insuper meretur hanc in Epistola, dum habetur: gratia estis salvati per fidem; atque hoc non nostrâ virtute, aut operibus, cum Dei donum sit. Item ubi habetur: Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. <sup>8</sup>

Deus nobiscum operatur.

IV. HABEMUS in Epist. ad Phil. <sup>9</sup> Confidens hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Et eodem capite: Quia vobis donatum est pro Christo non solum; ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini. In subsequente habetur celebris illa sententia: Charissimi... non in praesentia meâ tantum, sed multo magis nunc in absentia meâ cum metu,

& tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate. Versio, quâ utebatur Augustinus, non habebat perficere; quippe quod & sonat quandoque reddere perfectum; sed velle, atque operari, id quod mirifice consonat cum Græco. <sup>10</sup> Quid sibi velit, quôque sensu intelligendum sit, quod Deus in nobis operetur velle, & perficere, Doctor noster exposuit his verbis: <sup>11</sup> Sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur, ut velit, quoniam non inaniter scriptum est: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bonâ voluntate; & praeparatur voluntas à Domino. Quo docemur, quod praeparare voluntatem, & efficere in nobis velle atque operari, significet adiutorium Divinum cum emphasi, utpote sine quo nec velle possumus, nec operari, quodque operatur unâ cum nobis. <sup>12</sup> Non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle, atque operari operatur in nobis. Quid sibi hic vult amabo Apostolus? illud nempe, quod ipsum etiam velle, & operari Deus adjuvet, & nobiscum operetur; nam sequitur: Non quia nos volumus, aut nos non agimus, sed quia in deo ipso adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Sic alibi: Quod <sup>13</sup> dono ipsius tu facis, ille facere dicitur, quia sine illo tu non faceres: ergo Deus facere dicitur, cum tu facis. In alio Opere: <sup>14</sup> Dat, quod jubet, cum adjuvat, quod faciat. Orandum tamen est ex consilio Interpretis nostri, ut det, quod jubet; at quo pacto dabit? adjuvando, & inspirando. Et quo pacto verè operatur juxta Augustinum? adjuvando efficit: <sup>15</sup> non tamen simpliciter tanquam concausa; siquidem facit, ut faciam; & ex meâ sibi actione partem vindicat.

2. VIDERI possit Sanctus noster jam tum animo praecepisse, exiturum aliquando, qui hoc Pauli effatum crasse & spissè acciperet, quasi gratia se solâ consensum produceret. Videri item possit pluribus in locis dedisse operam, ut in antecessum errori huic larvam detraheret. Expresit igitur, monuitque: quod non, <sup>16</sup> sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum, ut non subinferatur adnitendo etiam nostrae efficaciae voluntatis. Quod operetur quidem in nobis Deus, sic tamen, ut & nos operemur; quod totum sit Dei, non tamen, quasi dormientes, non quasi ut non coitemur, non quasi ut non

velimus,

(1) de Trin. l. 13. n. 16. (2) con. Jul. l. 6. n. 33. (3) in Pl. CXVIII. Serm. 18. n. 3. (4) Ephes. III. 16. (5) Epist. 140. n. 63. (6) III. 13. (7) Serm. 165. n. 1. (8) IV. 7. (9) Phil. I. 6. (10) ad Gal. 2. 20. (11) con. 2. Epist. Pel. ap. Bonif. I. l. 1. n. 36. (12) de Gr. Chr. n. 26. (13) in Pl. XXXII. n. 6. (14) de Gr. & lib. Arb. n. 31. (15) de Peccat. mer. n. 7. (16) de Peccat. mer. l. 2. n. 6. Serm. 13. n. 11. Serm. 169. n. 13. Serm. 157. n. 13.



velimus; quod templum suum sic de nobis non ædificet Dominus, tanquam de lapidibus: sed quod & nos debeamus currere, & vires intendere. Perperam itaque faceret, qui verba hæc: *Operatur Deus in nobis*, observaret, non observatis in eadem Pauli periodo his aliis, & vos salutem vestram operamini! Optimè ea adnotavit Augustinus in Quæst. in Heptat. l. 5. qu. 16. *Deus est enim*, ait, *qui operatur & velle, & operari pro bonâ voluntate*; hoc est in eis, qui ex fide gratiam suscipiunt, & non suam iustitiam, (pungit hic Pelagianos) volunt statuere, sed iustitiæ Dei subiecti sunt &c. Nam & illic Apostolus utrumque dicit, & Deum operari, & ipsos. Nam si ipsi non operabantur, quomodo eis dicebat, cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini? Operatur ergo ille, cooperamur nos: non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium. Alibi Psalmum exponens: <sup>1</sup> Ecce, inquit, Apostoli verba sunt: cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quare ergo cum timore, & tremore meam salutem operor, cum sit in potestate meâ operari salutem meam? *Vs* audire, quare cum timore, & tremore? Deus est enim, qui operatur in nobis; ideo cum timore, & tremore, quia quod impetrat humilis, amittit superbus. Si ergo Deus est, qui operatur in nobis, quare dictum est, vestram ipsorum salutem operamini? quia sic in nobis operatur, & ut nos operemur. *Adjuvator meus esto*, in Psalmis dicitur: designat quippe & se operantem, qui invocatur adiutorem. Coronidem imponet documentum, quod nobis reliquit scribens ad Monachos Adrumetinos: <sup>2</sup> Non enim, quia dicit: *Deus est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bonâ voluntate*, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est: quod si ita esset, non superius dixisset, cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; quando enim iubetur, ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium. Vidimus pauldante, quomodo gloriatu fuerit Apostolus, eò quod gratia Dei in se vacua non fuerit. Longissimè aberat ipse ab eâ opinione, ut persuaderet sibi, à gratiâ necessario post se trahi voluntatem. Augustinus expressit multifariam: <sup>3</sup> Nec ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum invitum aliquem cogi. Juliano accusanti ipsum, quod doceret, Deum præparando voluntatem, eam cogere ad bonum volendum, respondet: <sup>4</sup> Cujus voluntatem nos dicimus à Deo præparari, ita fieri bonæ voluntatis, ut bonum velle cogatur, quod absit, dicatur à nobis. Legitur etiam

in Augustino: <sup>5</sup> Quod ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuntur, non solâ gratiâ, sed magnis aliquando, & totis viribus opus sit voluntatis. Paucis: vidimus, quod operari Deum in nobis velle, & operari ex mente Augustini aliud non significet, quàm quod Deus det & facultatem, quæ non est nisi ab ipso, & ferat auxilium, sinè quo possumus omnino nihil. Id quod nullatenus excludit dogma illud generale, quod nimirum & velle & operari simul sit Divini muneris, & nostræ voluntatis. <sup>6</sup> Et quod miserationes Dei non præsent, nisi volenti; <sup>7</sup> & quod facere dicatur Deus, cum tu facis. <sup>8</sup>

3. VENIAMUS ad Epistolam sequentem: Exiit Paulus Colossenses, sanctè ipsis affirmans, non cessare se precari Deum pro ipsis, ut impleantur <sup>9</sup> agnitione voluntatis ejus. Eripuit, scribebat ipsis, eripuit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filii dilectionis suæ. <sup>10</sup> In illud nimirum, <sup>11</sup> in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Ait deinde, grande illud mysterium per tot ætates absconditum manifestatum esse sanctis, quibus voluit Deus notas facere divitiis gloriæ Sacramenti hujus. Postea declaravit, deletum esse per Christum, quod post Adam peccatum contra nos erat chirographum decreti. Unus hic locus est, ubi à Paulo & Scripturis injicitur mentio de decreto adversus homines; videmusque, quo modo conceptum hujusmodi in nos decretum per Christi jamtum merita deletum, abolitumque fuerit: siquidem per baptismum nos Deus ex massa peccati extraxit, singularique misericordiâ constituit in viâ salutis, à quâ sola nos avertit malitia. Animadverti insuper potest, unicum etiam hunc locum esse, ubi Decreti nomen usurpavit, nisi & illum adnumerare huic volumus, quo dixit: <sup>12</sup> Legem mandatorum decretis evacuans; h. e. antiquam abrogans legem per nova Evangelii decreta sunt. Profecto ex versionibus vernaculis recentiores quædam, quæ ejus Epistolas implerunt, & suffarcinarunt decretis, quæ certè ipse non nominavit. Id quod inde accidit, quod vocem *πρόδικα*, quæ in Vulgata per *Propositum* vertitur, reddiderint ipsi per *Decretum*. Et sanè nec græca, nec latina vox superioris, inferiorisve ætatis Scripturibus *Decretum* unquam sonuit. Interpres noster nunquam illam exponit per *Decretum*; & quanquam etiam ipse frequenter *Propositum* adhibuerit vocabulum, hoc ta-

(1) Serm. 13. n. 3. (2) Epist. 215. n. 21. (3) ad Bonif. l. 1. n. 36. (4) Op. imp. l. 1. c. 107. (5) de Pec. mer. l. 2. n. 3. (6) in Pl. CXVIII. Serm. 23. n. 8. (7) de Nat. & Gr. n. 31. (8) in Pl. XXXII. n. 6. (9) Coloss. I. 6. (10) ibid. 13. (11) ibid. 14. 26. 27. &c. II. 14. (12) Eph. II. 15.



men in sensu nunquam illud usurpavit. Vidimus superiore libro, secundum propositum ab Augustino exponi saepe secundum *DEI beneplacitum, secundum ejus voluntatem, intentionem, & consilium*. Quae quidem non eo à nobis notantur, ut Divinorum decretorum excludamus veritatem; neque ut reprehendamus eos, qui voce hanc sobrie utuntur; sed ut commonefaciamus lectorem de frequenti eorum abusu, qui recentiori nituntur versione.

4. CAPITE tertio cohortatur nos ad serviendum Christo Domino: *Scientes, quod à Domino accipiemus retributionem benevolentiae*; <sup>1</sup> ut filii, non ut servi. Atque in hujus retributionis spe erectus David profitebatur inclinasse <sup>2</sup> se cor suum ad faciendas justificationes ejus in aeternum propter retributionem. S. Augustinus ad alium Pauli locum respiciens docuit, ut omnia bona opera nostra . . . non faciamus nisi spe celestium praemiorum: ipsa est enim altitudo, non hic quaerere mercedem, sed sursum. <sup>3</sup> Notabimus denique, quomodo Paulus in hac Epistola singulos, ut videant, ne quis eos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam. <sup>4</sup> In quod Augustinus: *Sunt . . . qui deferunt virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta majestas semper eodem modo manentis naturae, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curvissimè, inrentissimèque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso Caelo, de quo saepe disputant, sibi met habitare videantur.*

5. Ad Thessalonicenses primà vice scripsit, <sup>5</sup> quod Deus eos vocaverit in suum regnum, & gloriam; ubi sequitur: *Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est verum Verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* In illis quippe operatur, qui crediderunt. In altera Epist. scripsit, venturum sub mundi finem, qui seducat iniquos, <sup>6</sup> ed quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* En Hebraeos! *Deus mittet operationem erroris.* In libris de Civ. sic interpretatur: *Seducuntur eis signis, atque prodigiis, qui seduci merebuntur, pro eo, quod dilutionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Nec dubitavit Apostolus addere, & dicere: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant*

*mendacio. Deus enim mittet, quia diabolum facere ista permittet.* Notavit Hieronymus, depromptum hoc dictum esse ex Isaia, cum dixit, produxisse Deum stuporem, *sive spiritum vertiginis.*

6. OBSERVAT etiam Apostolus, *non omnium esse fidem*; & Augustinus: *Tamen si & ipse nobis auctor sit, ut oremus Deum, ut omnes credant; tamen non apud omnes, ait, vobis orantibus, glorificabitur Verbum Dei.* Hoc tamen nil vetat, quominus preces fundamus; quia saepenumero Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, ut ostendat, quia ipse facit. Ex hoc Pauli effato: *Non omnium est fides*, manavit illud Augustini eodem fere sensu, non esse nimirum omnibus gratiam communem. <sup>10</sup> Nunc enim naturam etiam cum impiis, & infidelibus certum est, nobis esse communem: gratia verò per fidem *J. C.* eorum tantummodò est, quorum est ipsa fides: non enim omnium est fides.

V. PRIMA ad Timoth. habemus sententiam illam: *Quod Deus omnes homines vellet salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* <sup>11</sup> Ad hanc viam intravit Apostolus, cum ante dixit: oportere orare pro omnibus hominibus. Hic ita disserit Augustinus: <sup>12</sup> Praeceperat . . . Apostolus, ut oraretur pro omnibus hominibus, & specialiter addiderat pro Regibus, & iis, qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu, & superbia seculari à fidei christianae humilitate abhorrevere. Proinde dicens: *Hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, id est, ut pro talibus oretur, statim ut desperationem tolleretur, addidit: Qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Scripsit item in alià Epistola, aded orandum esse pro omnibus, ut ne illos quidem excludi oporteret, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia. Atque hinc disertè etiam Regum, & in potestate constitutorum factam fuisse mentionem.

2. QUEMADMODUM igitur orare oportet pro omnibus nemine excluso; ita & texus dicit, velle Deum omnes salvos fieri, nemine excluso. At cum ob hoc ipsum effatum illico sese offerat difficultas, quomodo nimirum omnipotens Deus omnes salvos velit, dum tot interim salute excidunt? nodum hunc admirabili dexteritate extricat Magister noster ita scribens ad Pelagianos: <sup>13</sup> *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes iustissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei*

(1) III. 24. (2) Ps. CXVIII. 112. (3) in Ps. CIII. Serm. 1. n. 14. (4) II. 8. Aug. de Mor. Eccl. cath. l. 1. n. 38. (5) 1 Thess. II. 12. 13. (6) 2 Thess. II. 10. (7) de Civ. D. l. 2. c. 20. n. 4. (8) Hier. in Is. c. 9. quod puto Apostolum de praesenti Isaia lectione sumpsisse. (9) Ep. 227. n. 27. (10) de Gr. & lib. Arb. n. 25. (11) 1. Tim. II. 4. II. 1. (12) Enchir. n. 27. (13) de Sp. & Lit. n. 58.

Deus vult omnes sal. vos fieri.



faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt. Erat enim hæc voluntas conditionata, ipsius autem voluntas absoluta semper manet invicta; ut nempe qui dona contemnit misericordiæ, debitum referat supplicium. Quod deinde iterum declarat similitudine. *Qui dicit v. 9. Volo, ut ii omnes servi operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita, ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum contempnens effugerit; quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Vult itaque Deus, quantum in se est, omnes salvos, quemadmodum cupit omnes suis morem gerere præceptis; voluntate inquam universali, at non absolutâ; vult omnes nemine excluso, at nullo per vim adacto.

3. IN alium Epistolæ hujus non absimilem locum: *Est Salvator omnium hominum,* ita differuit Augustinus: *Si Salvator est omnium hominum, ergo & Joannis, neque enim Joannes non homo.* Quod perinde erat, ac dicere: Si est omnium generatim, igitur & singulorum; eamque appellavit *Sententiam Apostolicam, & veram.* Itâ & in illud Psalmi: *Disperdidi omnes, qui loquuntur mendaciam,* advertit, neminem ab ipso excipi, dum ita loquitur. Hinc risit sæpe Julianum, quod transisse mortem per unum ad omnes, intelligi vellet de multis, qui eum fuissent imitati. Docuit, Deum misericordem misisse unigenitum filium suum, volentem homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui. Vult itaque liberare, & salvare quemcunque, modò suæ non obstitat voluntati. Et ex illo Joannis, quod misit Filium suum, ut mundus per ipsum salvus fiat, infert Augustinus: *Ergo, quantum in medico est, sanare venit ægrotum.* (Videtur hic loqui de singulis nemine excepto, quia infirmus est, quisquis ab Adamo descendit.) *At ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult.*

4. PELAGIANI, supra dicto dogmate ut abuterentur, suamque illud in rem verterent, asserbant, absolutè Deum velle omnes salvos fieri; indè porro ceu confectarium derivantes, non in ipsius id esse potestatem, eò quod principium non suum foret, sed hominis; ac proinde ipsius voluntatem ab humanâ superari, multòque, ut etiam velit Deus, salutem non consequi, quod propriâ se deberent facultate ad Deum convertere, & fidem flagi-

tare. Dicebant itaque: *Ideo non omnes salvos fieri... quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare; nolunt quærere, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire.* Errorem hunc ut Augustinus retunderet, admittens etiam de absolutâ id voluntate intelligi, ostendit, posse tum locum hunc exponi cum restrictione: *Multisque modis* sententiam hanc intelligi posse, ex quibus varios in Operibus suis proposuerat. v. 9. *Ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est. Immodò in linguis omnibus eorum aliqua reperiri, aut si malis, omnes, qui salvi sunt, nisi ipso volente non fieri; aut alio quodam modo.* Verùm non acquievisse videtur his explicationibus, hinc subjunxit: *Et quocunque alio modo intelligi potest, modò ut Divinæ consulatur omnipotentiae.* Ex quo colligi videtur, prætulisse ipsum ceteris interpretationem primam, quam nullâ aliâ cautione adjectâ proposuerat, atque ubi sensum Apostoli solum considerarât, nullâ habitâ ratione eorum, quæ supponebant Pelagiani. Exculpere usque adeò ex jam recitato textu de voluntate salvandi omnes homines conabantur ipsi, quod Deus omnes perinde, nullòque discrimine salvos velit; id quod repugnat verficulo, quem modò habemus præ manibus: *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Hos tamen Augustinus vocavit *membra Christi, filios lucis, pacis, Ecclesiæ, ut eos fecerneret à filiis alienigenis, & peregrinis.*

5. Et quoniam jure existimatur hic locus esse ex difficillimis S. Pauli, quod sæpe inculcetur, nil posse Divinæ voluntati obistere, Deumque velle omnes salvos fieri; reponere etiam unâ cum Præcepto nostro possumus, si de voluntate conditionatâ hæc accipiantur, sensum fore, quod velit, (uti etiam quantum in se est citra dubium Deus vult) ut omnes rectè vivant, ipsiusque offensam peccando non incurrant. Cum autem id non itâ velit, ut liberum subvertatur arbitrium, faciunt homines contrâ quàm velit ipse, & peccant. Quodsi verò id ita accipere lubet, ut salvos omnes velit voluntate absolutâ, sensus erit, quod omnes salvi salutem fuerunt ipsius voluntate consecuti, eo planè modo, quo aliud Pauli dictum: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, itâ & in Christo omnes vivificabuntur,* aliud certò non significat, quàm quod omnes, qui vitam fuerunt adepti, eandem acceperint per J. Christum. Prima enim vocula, *Omnes,* idem so-

(1) IV. 10. (2) Serm. 292. n. 4. (3) de Catech. rud. n. 52. (4) in Joan. Tr. 12. n. 12. (5) Enchir. n. 24. tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate. (6) con. Jul. l. 4. n. 42. (7) de Corr. & Gr. n. 44. Enchir. n. 27. Epist. 217. n. 19. Enchir. n. 27. (8) Epist. 225. n. 4. *indifferenter universis velit.* (9) 1. & Tim. IV. 10.



nat, quod omnes generatim; altera verò idem est, quod omnes ii, qui coelestem gloriam consequuntur; vel omnes ii, qui obtinebunt baptismum, si tñ *sulcos fieri* ad fidem; uti contextus subindicat, referatur. Eodem modo exposuit quandoque Augustinus illud Joannis: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Idenim tamen de omni homine intellexerit in Tractatu suo, cum dixit: <sup>1</sup> *Si omnem hominem venientem, illuminat & ipsum Joannem; nihilominus in Op. imperi. ita scripsit: <sup>2</sup> Dictus est illuminare omnem hominem, quia nemo quemquam illuminat nisi ipse. De quacunque igitur voluntate accipiat, sententia hæc vera omnino est, & uno, & alio modo; omnisque facile solvitur, diluiturque oppositio.*

6. Atque ut ad textum revertamur: post id, quod Deus omnes salvos cupiat, mox atrexitur, quod Mediator Deum inter & hominem dederit redemptionem se pro omnibus. Vidimus admodum nuper, sententiam hanc ab Interprete nostro explicatam fuisse in hunc modum: <sup>3</sup> *Pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus. Ex quo apprimè liquet, de Adæ posteris ipsum id intelligere; siquidem à morte peccati nemo fuerit eximius. Confirmatur itaque per hanc, & declaratur præcedens dictum. Tam verum est, quod crediderit ipse, omnem à Christo hominem fuisse redemptum, quam quod disertè asseruerit, etiam Judam fuisse redemptum, de quo cum loqueretur, nec agnovit, <sup>4</sup> aiebat, pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. Salutare deinde monitum Timotheo dedit Apostolus: *Te ipsum castum custodi*. <sup>5</sup> Quod cum scriberet, liberum arbitrium Timothei, ut affirmat Augustinus, <sup>6</sup> est exhortatus; & in hoc potestatem voluntatis ostendit, uti & alio in loco, cum dixit: *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*; <sup>7</sup> quod dictum legitur in Epistola ad Corinthios. Claudatur hæc Epistola aureo hoc documento: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositorum falsi nominis scientie*. <sup>8</sup>*

7. NOSTRO hic jure per modum digressionis nonnulla adnotabimus in illum locum hujus Epistolæ, ubi commendari in mulieribus videtur ornatus vestium. Contigit quippe non raro nobis, aliquos eorum hominum audire, qui vanitatem vestium in eo sexu propugnandi causam hoc ipso è loco reperunt. Sacer tamen textus non ait *ornatum*, sed *modestum*, id quod potius contrarium sonat. Po-

rest equidem vox græca *κοσμίως* significare & *modestum*, & *ornatum*. <sup>9</sup> Non solet tamen usurpari hoc adjectivum nisi pro *modesto*. Quodque id eo sensu acceperit Apostolus, apparet capite sequente, ubi ait: oportere Episcopum esse *prudentem, non puerum, hospitalem, pacificum*, <sup>10</sup> aliisque virtutibus conspicuum, quibus certè non accensuisset vestitum ornatum, & splendidum, at certè modestum. Confirmatur hoc ipsum ex contextu: <sup>11</sup> *Volo ego viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, & disceptatione; similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa*. Versio, quæ utebatur Augustinus, retinebat *ornatum*, sed emendabat errorem per particulam *non*, uti indubitè colligitur ex totius confessione discursus. <sup>12</sup> Scriptum est quidem, mulieres esse non debere in habitu ornato, aurique circumpositio, & intortio crinium, & cetera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, meritò reprehensa sunt; sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viruali veste distinctus &c. (ita in editione Lovan.) Credibile est, Authorem Vulgatæ usurpasse vocabulum *ornatus* in sensu *modesti*, cum eodem usus sit etiam, quando sermo est de virtutibus Episcopi. Notionem virtutis huic voci tribuerunt etiam insignes Scriptores latini.

VI. Ex secundâ ad Timotheum aliqua jamtum retulimus. Affruit in illâ, concedi beatitudinem à Deo, tanquam retributionem justitiæ. <sup>13</sup> In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus iudex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. Quam in rem Augustinus: <sup>14</sup> Audi Apostolum consistentem gratiam, & postea debitum experientem... aut illum jam flagitantem debitum, qui primò indebitum susceperat gratiam... bonum certamen certavi... reposita est mihi corona justitiæ. Jam debitum flagitat, jam debitum exigit; nam vide verba sequentia: quam mihi reddet Dominus in illâ die justus iudex. Ut ante susceperat gratiam, misericordem Patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, judicem justum. Verum quia hic versabat locum illum Joannis, quo dicimur accepisse gratiam pro gratia, mirâ solertiâ explicat nodum illum, quo pacto merces sit, non item gratia. Et tamen si bene cogitas, ait, ipse dedit fidem primò, quæ eum promeruisse... quod ergo præmium immortalitatis postea tribuit, dona sua coronat,

(1) in Joan. Tr. 2. n. 7. (2) Op. imp. l. 2. c. 136. (3) de Civ. D. l. 2. c. 6. (4) in Pl. LXVII. n. 11. (5) V. 22. (6) de Gr. & lib. Arb. n. 27. (7) I. Cor. VII. 37. (8) VI. 20. (9) II. 9. (10) *κόσμιος, κόσμικος, φιλόκομος* &c. (11) II. 8. 9. (12) Ep. 262. n. 9. (13) 2. Tim. IV. 8. (14) in Joan. Tr. 3. n. 10.



non merita tua. Dixerat superius: <sup>1</sup> *Quam gratiam primo accepimus? fidem. In fide ambulantes in gratia ambulamus. Unde enim hoc meruimus? quibus nostris praecedentibus meritis? fide promeremur Deum, & qui digni non eramus, quibus peccata non dimitterentur, ex eo, quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? gratis data &c. Consecutus autem istam gratiam fidei, eris iustus ex fide; & promereberis Deum vivendo ex fide: cum promerueris Deum vivendo ex fide, accipies praemium immortalitatem, & vitam aeternam. Et illa gratia est: nam pro quo merito accipis vitam aeternam? pro gratia. Si enim fides gratia est, & vita aeterna quasi merces est fidei, videtur quidem Deus vitam aeternam quasi debitam reddere... sed quia ipsa fides gratia est, & vita aeterna gratia est pro gratia.*

2. ASSEVERUIT Apostolus Epist. ad Tit. Apparuisse gratiam DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus. <sup>2</sup> Et post adventum Salvatoris: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos factos per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti. Sic & ad Ephes. Gratia estis salvati per fidem; id quod accidit mero dono. Sed non oportet ludere & tricarari hic in ambiguo, neque proferre haec loca, quod persuadeamus, expectandum esse à Deo quodcumque merum donum, quin & animae salutem. Ad hanc enim salutem vult, ut & nos omni studio, & contentione operam nostram conferamus; & est ridiculum dicere, solam fidem sufficere. <sup>3</sup> Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?*

3. In postrema Epistola commonuit Apostolus Hebraeos: <sup>4</sup> *Ut non obdureret quis illorum ex fallacia peccati; eosque incitavit, ut ad eam cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno. S. Augustinus D. Paulum Epistolae hujus Authorem appellavit fidelem fidei Praedicatorum. <sup>5</sup> Habemus etiam in illa specimen obscuritatis, quae nasci solet, cum quid peregrino ex idiomate derivamus. Quanquam enim N. Testamentum latinum ex graeco peritum sit, idiomate scilicet à nostro non adeo in loquendi formulis diverso, neque perinde atque hebraeum, aliaque linguae sunt, disjuncto: id tamen nil prohibet, quominus quaedam occurrat phrasim, quae rectè intelligi non nisi agerrime ab eo poterit, qui, quae eidem in autographo vis & potestas subjecta sit, ignorat. Habemus*

itaque hic, quod oporteat comiter accipere hospites, quia per hanc latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. <sup>6</sup> Verborum horum ad Abrahami, Lothique res gestas respicientium, atque in latinum sermonem summam fide, atque adhaesione ad literam translatorum sensus subobscurus manet illi, qui non sciat, verbum hoc Graecis idem etiam sonare, quod non advertere, immò ita non ineleganter usurpari. In versu quodam Philemonis apud Stobaeum eodem prorsus modo se explicat is, qui agrum coemerat, non sciens, eum inaratum esse, & sterilem. Est quippe hoc loquendi genus Graecis admodum familiare. Verborum itaque recitatorum sensus est: quod nescientes hospitio receperint Angelos, quin eos agnoscerent. Versio ab Augustino allata sic legebat: <sup>7</sup> *Quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.*

VII. DELIBATURI jam sumus obiter documenta quaedam in rem nostram aptiora, etiam ex aliorum Apostolorum Epistolis. S. Jacobus panaceam quandam suggestit orthodoxis adversus omnem & intelligendi, & operandi indigentiam, utramque inspectionem nomine Sapientiae intelligentibus Judaeis: <sup>8</sup> *Siquis vestram indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo cum tentatur, dicat: quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illeceus. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Inde, <sup>9</sup> adjungit Augustinus, inde est, quod habemus bonum; inde est, quod nondum habemus: non habetis? petite, & accipietis. Pergit textus: *Voluntarie enim genuit nos Verbo veritatis. Vocula autem haec veritatis validè nobis inculcat, satis non esse, quod sumus auditores tantum; sed necessum est, ut & sumus factores Verbi. Qui enim perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.**

SAEPE ingeminat, nil prodesse, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; siquidem & daemones credant: fides autem sine operibus mortua sit. Non praetermittendae hic sunt duae sententiae. Prima est: *Deum superbis resistere; humilibus autem dare gratiam.* Expromptur illam Jacobus ex Test.

(1) ibid. a. 8. 9. (2) Tit. II. 11. III. 5. Eph. II. 8. (3) Jac. II. 14. (4) Heb. III. 13. IV. 16. (5) Op. imp. l. 3. c. 85. (6) XIII. 2. Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis: διὰ τούτου καὶ ἰσχυρὸν τὸν ἐπιστολῆς Ἀγγέλους. Stob. de Mor. c. 7. t. 28. Ἀποστόλων ἑστὶν ἀποστολὴ, ἀγγέλων. (7) in Sen. qu. 41. (8) Jac. I. 5. &c. (9) Serm. 159.



vetere; ubi habetur in libro Prov. secundum graecum Codicem LXX. Altera immediate sequitur: *Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Epistola D.  
Petri.

3. S. PETRUS in primâ suâ consolatur fideles; vocatis eos *gens electum*,<sup>2</sup> qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Revocat item in memoriam ipsis, Deum sine<sup>3</sup> acceptione personarum iudicare secundum uniuscuiusque opus. Reperit adductum jam dictum Jacob, quia Deus superbis resistit; humilibus autem det gratiam. Sed in alterâ insigne ipsis mittit documentum, ut nimirum, dum omni curâ ac sollicitudine depositâ vocationi & gratiâ, ultrâ quàm oporteret, confidunt, non negligant ea, quæ de suo ab ipsis conferri necessum est. Quapropter magis à Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis, & electionem.<sup>4</sup>

4. DIGNA animadversione est investiva Divi Petri in eos, qui *Dominationem*, hoc est auctoritatem, contemnentes, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.<sup>5</sup> Observat, eos sequacibus suis liberatam à subiectione legis promittere, cum ipsi servi sint corruptionis; quoniam à quo quis superatus est, huius sit servus. Ipsos proinde cum sub peccatorum dominatu sint, eorum quoque, licet ea subdole regant, verè servos esse. Capite 3tio affirmat, dilationem, & longanimitatem Domini ex eo provenire, quod nolit aliquis perire, sed omnes ad penitentiam reverti.

Epistola S.  
Joannis.

5. IN Epistola Joannæ, quam Augustinus cum aliis Authoribus, multisque antiquis MSS. Parthis inscriptam dicunt, sequentia legere est effata.<sup>6</sup> Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem J. C. justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Qui dicit, se nōsse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. In illud, quod Joannes hic affirmat, non reperiri hominem expertem peccati, ita Augustinus:<sup>7</sup> Acutè autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc nullus ignoret, quod si volumus, non peccamus; nec præcipere Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati, sed hoc non vident, quod ad

nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis; quas non perfectè in omnibus adhibebimus prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. In illud porro, quod præcepta gravia non sint, ita differt: <sup>8</sup> Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum, & bonum impossibile non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid peccemus. Omnia quippe sunt facilia charitati. Et alio in libro:<sup>9</sup> Nec aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia Divina præcepta; nisi ut animum, quæ illa gravia sentit, intelligat, se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur; levia scilicet, atque suavia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis.

6. DE quibusdam Profelytis, qui, ut sectarum coryphaei evaderent, postmodum defecerant, dixit Joannes:<sup>10</sup> Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. In quem locum S. Augustinus, in relicto nobis de hac Epistola Commentario, hujusmodi homines vocat Antichristos, atque ita exponit:<sup>11</sup> Sed de voluntate sua quisque aut Antichristus, aut in Christo est. Quæ explicatio speciatim comprobatur effato illo Apocalyptico:<sup>12</sup> Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Hinc merito etiam alibi dixit Noster:<sup>13</sup> Neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi. Habemus eodem libro:<sup>14</sup> Esto fidelis usque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ; occurruntque iteratò hæc sententiæ: Juste, & vera sunt viæ tuæ Rex Sæculorum. Vera & justa ju licia tua.<sup>15</sup> Præmissum fuerat, beatos esse illos, qui decesserunt in gratiâ: opera enim illorum sequuntur illos.

7. CORONIDEM disquisitioni huic nostræ imponemus observando, quod in postremo hoc libro S. Scripturæ iterum atque iterum commendetur timor Dei. Time te Dominum, & date illi honorem. S. Paulus cohortatus nos fuit ad perfectiorem sanctificationem nostram in timore Dei. In veteri Testamento timor Dei nuncupatur fons vitæ, & initium sapientiæ, communemurque, ut servemus timorem ejus; & in illo veterascamus: quoniam nihil melius sit, quàm timor Dei. Ad virtutum christianarum exercitia Augustinus ait viam sterna timore.<sup>16</sup> Timor præparat locum charitati... opus est

Timor Dei  
commenda-  
tur in  
Scripturâ.

(1) IV. 7. (2) 1. Pet. II. 9. (3) I. 17. (4) 2. Pet. I. 10. (5) II. 10. (6) 1. Jo. I. 8. II. 1. 4. V. 3. (7) de Pecc. mer. l. 2. c. 3. (8) de Nat. & Gr. c. 69. (9) de perf. Just. n. 21. (10) II. 19. (11) in Epist. Joan. Tr. 3. n. 5. (12) Apoc. III. 20. (13) de Quæst. 83. qu. 68. Apoc. II. 10. (14) XV. 3. XIV. 13. (15) Apoc. XIV. 7. 2. Cor. VII. 1. Prov. XIV. 27. Eccl. I. 15. II. 6. XXIII. 37. (16) in Ep. I. Jo. Tr. 9. n. 4.



ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Monuit Servator, nè ab iis quis sibi timeat, qui soli corpori nocere possunt; sed ab eò potiùs, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.<sup>1</sup> Bonus est iste timor, docet Aug.<sup>2</sup> utilis est.

Anacepha-  
leosis uti-  
lissima.

VIII. Atque hæc, quæ ex novo, veteri-  
que Testamento colligimus, sufficiant ad  
pernoscenda penitus Dogmata Scripturæ,  
quoad ea minimùm, quæ hic pertractan-  
tur. Poterant & alia plura proferri loca,  
quæ res passim easdem repetunt. Ex mul-  
tis Augustini effatis eò respicientibus addu-  
ci omnia haud poterant. Præcipuarum ta-  
men ejus interpretationum aliis in libris  
fiet mentio. Videat jam amabo, quisquis  
Religionis spiritu ducitur, non cæco ani-  
mi impetu, annon solà hæc re Janseianum,  
Quesnellianumque systema totum concu-  
tiatur, & ruat? Quisquis demum perspi-  
caci dotatus ingenio, & hujusmodi con-  
troversiarum, studiorumque non planè  
rudis fuerit, citra dubium perspiciet, 101.  
Propositiones ex illis nasci, aut eodem  
alias rectà, alias obliquà vià deducere. Vi-  
debit proinde non posse non censurà di-  
gnas omnes esse, & falsas. Si enim ex Scri-  
pturâ antilogiarum congeriem efficere non  
volumus, nullum illius enuntiatum office-  
re potest libertati, quippe quàm frequen-  
ter adeò, & validè inculcat. Hinc est, quòd  
quocunque demum modo à scholis Ca-  
tholicis exponatur virtus, atque efficacia  
gratiæ; omnes tamen ità eam explicent, ut in-  
tactum consistat arbitrium, probè scien-  
tes, voluisse Conditorem relinquere ho-  
minem in manu consilii sui.<sup>3</sup> Quàcunque  
item ratione ab iisdem intelligatur destinatio  
ad gloriam, executio tamen semper refertur  
ad meritum; quippe quod libertatem sup-  
ponit. Quo fit, ut omnes loci Scriptu-  
ræ, qui quidem de prædestinatione lo-  
quuntur, evertant ex ipsarum mente, ac  
subruant systema illud, quo hominis ar-  
bitrium planè concidit. Quotusquisque  
demum est, qui non advertat, illas ipsas  
etiam propositiones, quæ ab ejusmodi  
doctrinis longiùs recedere videntur, aliò  
non spectare, quàm ut nullas esse harum  
proscriptiones ipsi inde evincant; possint-  
que 101. ope illas quinque cum aliis inde  
derivatis tueri.

2. At qui obsecro cum Divinis conci-  
liari Oraculis possent id genus paradoxa?  
Vidimus non semel duntaxat, atque ite-  
rum, sed millies, facillè, variisque modis  
summà cum energiâ in SS. Libris repe-  
ri, non juberi ea à Deo, quæ facultatem no-  
stram excedunt. Non permitti, ut supra  
vires tentemur; appositum nobis esse bo-

num, & malum, optionemque penes nos  
esse, præmiùmque pro eo, atque elegeri-  
mus, obventurum nobis esse, vel suppli-  
cium. Quomodo igitur perpenis his om-  
nibus Christianus, qui fidei, morumque  
regulas ex Verbo Divino repetendas fate-  
tur, docere potest, & tueri, quòd aliqua  
præcepta sub hominis justì potestatem non  
cadant; quòd gratia illos deficiat; quòd  
interiori gratiæ nunquam resistatur; quòd  
ad libertatem, atque ad merendi & deme-  
rendi facultatem satis sit, nullam invitis  
nobis vim inferri, neque opus sit, ut hanc  
vel aliam amplecti partem quis possit? Quæ  
demum antilogiæ erunt, si hæc non erunt?  
Centies jam vidimus, quomodo vocet  
peccatores Deus, quomodo eas exstimu-  
let ad pœnitentiam, quomodo desideret,  
ut respiscat impius, nemòque pereat.  
Falsa hæc omnia forent & fraudum plena,  
si, qui peccavit, is ad quemcunque actum  
bonum, ut docet Quesnellus, quin & ad  
faciendam orationem amitteret facultatem;  
errassetque Servator noster, dum innuit  
sceleratis Phariseis, ut noxas suas eleemo-  
synæ largitione redimerent. Vidimus,  
Redemptorem esse propitiationem non pro  
nostris solum, sed & pro totius mundi  
peccatis. Vidimus, quomodo stet ad  
ostium, & pulset, ut ingrediatur ad ape-  
rientem, quomodo idem sæpenumero vo-  
luerit, non volentibus hominibus. Quà  
igitur fronte procedere eò quis poterat,  
ut auderet asserere, sinè gratiâ illà, quæ  
reipsà actum producat, non solum boni ni-  
hil effici; sed nè fieri quidem posse? Quem-  
admodum igitur in propositionibus, quæ  
hoc in systemate ceterarum sunt quasi ca-  
pita; ità & qui reliquas, quarum plures  
idem; at phrasi diversâ enunciant, expen-  
derit, easque cum illis, quæ ex novo veteri-  
que Testamento colligimus accuratè contu-  
lerit, directam semper in iis oppositionem  
deprehender, eamque perpetuam. Docet  
pluribus in locis Scriptura, Christum mor-  
tem oppetiisse pro omnibus, omniumque  
extitisse Redemptorem. At Author pro-  
positionum damnatarum pro primogeni-  
tis, id est pro electis, mortuum conten-  
dit. Scriptura docet, etiam sinè lege fa-  
cere ea, quæ lege jubentur; ita ille, eum,  
qui gratiâ excidit, mera patrare flagitia,  
nec liberum esse nisi ad malum. Scriptura:  
quòd salutem consecuturus sit, quicunque  
ad Deum recurrer; quòd remedium pec-  
catorum esse debeat precatio; quòd con-  
tinuò justitiam adeptus sit Publicanus, qui  
summisso animo dixerat: Domine! propi-  
tius esto mihi peccatori. Contrà insignis hic  
Magister: quòd dum preces fundit pecca-

Antithesis  
Scripturæ  
& Quesnelli

(1) Luc. XII. 5. (2) in Ps. CXXVII. n. 8. (3) Eccles. XV. 14.



tor, novum crimen incurrat. Scriptura docet, quod Caelum sit *merces, retributio, corona justitiae*, quae datur ad mensuram actionum, quas juvante Deo operati fuimus: ac proinde, quod partem earum sibi vendicet homo, eique sint liberae. Hic Author ex adverso, quod sint effectus à gratiae omnipotentia profectus, eo fere modo, quo Deus res condit ex nihilo, quo ad vitam revocat mortuos, quo jubet, quo solus efficit omnia. Scriptura: quod nec gratia nobis adimat facultatem perpetrandi mali; neque concupiscentia faciendi boni cum adjutorio Divino. At Author ille: quod omnis gratia non sit aliud, quam Dei omnipotens voluntas; unde & semper insuperabilis sit; quodque sine ea nullius unquam boni capax sit voluntas. Scriptura: quod Deus omnes quidem cuperet salvos, quodque saepe voluerit, nolente, & oblucente Jerosolyma? Author ille: quod, quidquid Deus vult, indubitate fiat, nullo interim voluntatis diversae facto discrimine. Unde, si multi non credunt, si non rectè vivunt, si salutis jacturam faciunt, id, ut ille quidem existimat, inde est, quod nolit Deus. Scriptura: quod in potestate nostra non sit credere, immò sine gratia praeveniente nè dicere quidem *Domine JESU!* Hic Author: quod non detur gratia prior fide, nec detur nisi virtute, atque efficacia fidei. Scriptura: quod abundaverit gratia, ubi abundabat delictum; quod per merita Salvatoris gratis adepti sumus justitiam, salviq; evaserimus per regenerationem, & Spiritum S. diffusum in cordibus nostris. Hic Author: quod post Adæ peccatum non in nobis ipsis recipiamus gratiam, quodque hoc præcipuum atque essentiale discrimin sit inter gratiam, quae statui innocentiae, & eam, quae nobis concessa fuit.

3. CELEBRE in SS. Paginis dogma est, tres esse Virtutes theologicas, omnesque esse necessarias. Laudantur quidem in illis eae, quas cardinales dicimus, tanquam hominibus comprimis utiles, & proficuae. At Quesnellus solam Deo charitatem esse acceptam, solam hanc ab ipso coronari, ceteraque omnia pro nihilo, immò pro re vitiosa, & peccaminosa reputari contendit; omnem Religionem caritati non generatim tantum, sed pro singulari etiam virtute acceptae includens. Alias vicissim vult, Deum universam Religionem fide & precibus, seu in summam quadam, fuisse complexum: quasi verò Sacrae Literae in cultu, in ceremoniis, & Sacramentis tanquam Religionis nostrae partibus nos non inhi-

tuisent. Notatu insuper dignum est, quod contra doctrinam illam Servatoris, quod maxima praecepta sint amor Dei, & proximi, homo ille de hoc secundo parum admodum laboret. Extollit saepenumero in utroque Testamento timorem Dei, tanquam virtutem supra vires naturae positam; nosque etiam cohortatur ad pertimescenda aeterna supplicia. At natus heri Praedicator iste omnia haec iterum, iterumque fugillat; omnemque timorem, tanquam si belluina perturbatio foret, respuit. Saepè in Divinis Oraculis firmatio Ecclesiae, aut variarum Ecclesiarum, significata hoc nomine universa orthodoxorum in Christo baptizatorum turbâ, tametsi nonnulli eorum gravissima etiam incurrerint peccata. Verum Novator noster affirmat, non coalescere Ecclesiam, nisi ex praedestinatiis, justisque. Legimus in Evangelio, non praevalituras unquam portas inferni, adstiturumque Jesum Christum Ministris suis usque ad consummationem saeculi. In propositionibus verò proscriptis habetur, obtorpuisse senio Ecclesiam, omnesque adversus veritatem conjunctasse potestates. Unde juxta illas derelicta jam tum est à Deo Ecclesia, proximèque abest ab interitu. <sup>1</sup> *Quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est.* Discimus ex Apostolo, non debere omnes Doctoris sibi partes sumere volutando sacros Codices sine ope alienâ, sed debere homines scientiâ non instructos ad eos recurrere, qui hanc praediti sunt. Contrâ hic Author praedicat, utile, immò necessarium esse omni hominum generi, & singulis quibusque, ut in Scripturae intelligenda mysteria suo Marte incumbant. In summâ: opiniones, quas prouit in reflexionibus moralibus, ad unum omnes reprobare sunt in Verbo Divino, atque aperte jugulatae; uti deprehendere facili negotio poterit, quisquis ingenii, & doctrinae lumine praelucente, sigillatim, quae tribus his libris complexi fuimus, excutiet, atque expendet. Non est proinde, cur miremur, fuisse etiam illas Vaticano fulmine ustulatas. Admiratione potius dignum est, tot de hac condemnatione fieri querelas, tamque multos in desperatis adeo opinionibus tuendis omnem suam operam incassum consumere.

4. CLAUDEMUS hunc librum unicâ adjectâ animadversione, quae sanè praetermittenda non est. Habemus in Evangelio, quod Christo discipulos interroganti, quem se crederent, solus extemplo Petrus responderit: *Tu es Christus Filius DEI vivi!* cui proinde Redemptor: <sup>2</sup> *Beatus es Simon Bar-Jona, quia cavo, & sanguis*

Etymon vocis Petrus.

(1) ad Hebr. VIII, 13. (2) Math. XVI, 17.



non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis. Nomen, aut cognomen Cephas, quod in Syriaco petram significat, impositum à Salvatore Simoni fuit, quamprimum ad ipsum à fratre adductus fuit, ut est apud Joannem. <sup>1</sup> Evangelicographi in Græco reddiderunt πέτρον, quia in illà linguà & πέτρος dicitur, & πέτρα. Immo in hoc vocabulo masculinà inflexione uti solent Scriptores Attici; neque defunt in idoneis Scriptoribus exempla. Strabo ter ita habet in unà, eadèmq; periodo. <sup>2</sup> Retinuit hoc fideliter versio latina, cum melius etiam hoc modo ad viri se nomen vox ita accommodet. Consideremus jam, præsentis fuisse Discipulos, Christumque soli Petro, quem per nomen Patris sigillatim designabat, dixisse, beatum illum esse ob habitam revelationem supernam, quæ certè ad ipsam solum pertinebat; vel le item se petræ huic suam inædificare Ecclesiam, portæque inferni nunquam adversus illam prævalituras; commissurum se ipsi claves, & quantum ligaverit in terris, tantum quoque ligatum iri in Cælo. Quo igitur pacto propositionum 101. proscriptio omni adhibitâ solennitate à Petri Successore decreta prætendi poterit erronea, aut invalida ab eo, qui fidem habet Scripturæ.

CUM S. Petrus à Servatore in signum, quod eximium aliquod documentum daturus esset, ter interrogatus, num se plus, quàm ceteri diligeret, ter quoque respondisset, se diligere, quid ei reposuit Christus? *Pasce agnos meos, <sup>3</sup> pasce oves meas.* Erat igitur dilectio Petri superior, quàm ea, quæ erat in ceteris, ac proinde soli ipsi propria. Atque per hanc porro effectum fuit, ut omnibus ipsum Dominus præficeret, juberetque oves, & agnos pascere. Est igitur & Successorum, pa-

scere quemvis de grege, cujuscunque demum ille conditionis fuerit. Quis est, qui ignoret, per *pascere* intelligi docere, instituire, corrigere? Qui igitur obedientiam detrectare possit, oblectarique in materiâ dogmaticâ adversus summi Pontificis solennem decisionem, eamque à Catholicis quibusque Dioecesibus cum veneratione admissam?

5. DICEBAT aliquando Christus ad Petrum præsentibus ceteris Apostolis, tentandos eos fore à satanâ; sed rogasse se pro eo, ut non deficiat fides sua, & ipse aliquando conversus confirmet fratres suos. <sup>4</sup> Loquebatur itaque ipsi, non ceteris; quia alios ipsi committebat regendos. Nequit itaque fieri, ut fides & sana doctrina in D. Petri sede deficiat; spectâtque ad hanc ipsam sedem, omnes reliquos in eadem confirmare. Quam ob rem necessum est aut fidem derogare Evangelio, aut Bullam *Unigenitus* pro regulâ indubitâ, & verace admittere. Idem dictum esto de anterioribus, quibus Jansenii, Baji, aliorumque hujus fursuris hominum doctrinæ ustulatae fuerunt, atque proscriptæ; idque eò magis, quod Decreta jam dicta, uti & hoc postremum, ab Ecclesiâ universâ, ejusque Catholicis Pastoribus lubenti animo admissa fuere, plausuque excepta; exceptis duntaxat paucis quibusdam sectæ huic miserum in modum adhærescentibus; quod in omnibus anathematis Conciliorum etiam Oecumenicorum, primorumque sæculorum semper evenit. Nihil itaque ad obsoletarum, explosarumque hujusmodi propositionum internoscendum venenum, atque ad Bullæ hujus & æquitatem & supremam auctoritatem intelligendam ampliùs desideratur, quàm ut quis veteris, novique Testamenti dogmata, & præcepta accuratè discutiat.

VERUM pertexere nos oportet telam, quam cepimus; appellentes jam animum ad indagandas, proferendâsque in medium Opiniones & Dogmata priorum Æræ Christianæ Sæculorum in argumento, quod hic versandum suscepimus.

(1) Jo. I. 42. Tu es Simon filius Jonæ: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. (2) Strab. l. 17. p. 1173. & πέτρον. (3) Jo. XXI. 15. Diligis me plus his? pasce agnos meos; 17. pasce oves meas. (4) Luc. XXII. 31. Simon, ecce satanas expetivit vos &c. Ego autem rogavi pro te &c.

### FINIS LIBRI TERTII.

## HISTORIÆ THEOLOGICÆ

### LIBER IV.

Complectitur Dogmata & Opiniones SS. Patrum, aliorumque Scriptorum prioribus tribus Æræ Christianæ Sæculis.

I. **A**postolorum jam inde ætate usque ad quinti sæculi initium nullæ insurrexerunt sectæ, quæ quidem de proposito adversus hæc dogmata animos, &

G